


43885



268



Q. D. B. V.  
THEMIS PACATA  
BRABEIIUM  
IN VTROQUE IVRE SVMMVM,  
QVOD

DOCTORATUS  
VENIT NOMINE, SOLENNI MORE  
RITUQUE CONFERT  
VIRO

*NOBILI, AMPLISSIMO, ATQ; CONSVLTISSIMO*

DN. JOACHIMO REIN-  
HOLDO BAUSSIO, JCTO,

Reverendissimi Capituli Ecclesiae Metropoli-  
lanæ & Archiepiscopalis Magdeburgensis  
Syndico gravissimo,

IN ILLUSTRIS AD HELMUM ACADEMIA  
A. D. II. Octobr. A. R. O.

cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup> c<sup>o</sup> lx.

CONGRATVLANTE OFFICIOSO  
CALAMO


FRIDERICI CAHLENI, M. & P. L. C.  
illustris Gymnasij Brandenburgici, quod Curiae  
Narischor. est, p. t. Rectoris,  
& Prof.



MAGDEBURGI,  
Typis JOHANNIS MULLERI.

nom





## VIRTUTI AC HONORI

S. Epos.

**B**ella per Arctoos nuper vah! horrida campos,  
Seq; oppugnantes stupuerunt secula Reges,  
Bistonias acies, infandaq; praelia gentis,  
Devictos hostes, prostrataq; corpora letho,  
Disiectas urbes, exhaustos ære colonos,  
Oppressamq; Dicen truculentis Martis ab armis,  
Nunc vice conversâ Iani sacraria clausa,  
(Gratia sit Superis!) PACIS divinitus arrha  
Atq; salus cunctis redijt GERMANIDOS ORIS.  
Inde reflorentis suspendit pignora secli  
Regali THEMIS alma throno: Lætatur Olympus,  
Pulchrior & solito splendet fax aurea Phœbi,  
Ipsa sibi melius Pallas placet, atq; vigescit  
EUSEBIE, THEMIS & cultoribus incluta solvit  
Præmia, spectata & VIRTUS excelsa BRABEIA.  
Hos inter fulges, VIR CONSULTISSIME, BAUSI,  
Felix ingenio, præstans Virtute, Themistos  
Arte valens, doctæq; potens dulcedine linguæ,  
BAUSI, noster honor, cuius Cunabula Musæ  
Vidimus, & teneræ mirati dona juventæ,  
Magnis Te natum rebus prædiximus olim.  
Namq; secundus eram, qui Te, velut alter Achilles,  
Erudij Chiron; (non prædico vanus opellas  
*Vir præclare,* meas:) nec erat grave fingere molles  
Et tractare manu ceras, & sponte sequentem  
Ducere Palladias divæ Virtutis ad arces.

Non

Non opus hortatu fuerat, præcurrere iussa  
Consueras semper, laudum succensus amore.  
Quàm Tibi adhuc Juveni tam sternutârît Apollo,  
Publica metra probant, magnæ præludia famæ,  
Quas quoque mentis opes collegeris, exitus ipse  
Edocuit, vitæque gradus, nomenque celebre.  
Jamq; sibi charum multo Te pronus Apollo  
Foverat amplexu, Tibi cum generosa cupido  
Exsurgit juveni loca visere disita, doctis  
Quæ sacra Pierisin, celeri pede curris ad oras  
Prusiacas, ubi *Regius est mons*, compar olympo,  
Illustris Charitum, cultu studiisque celebris.  
Fervet opus, juveni felix assurgit Apollo  
Carmina suppeditans, priscis quæ digna Poëtis.  
Egregius juvenis, quem **DACHIUS** ille, **THILOQ;**  
Nobile par Vatum, vatem stupuere canentem.  
Instat opus, redolentq; thymo fragrantia juris  
Mella, nec in mediam prodire vereris arenam,  
Atque pares inter pulchro certamine vires  
Explicuisse tuas, sinuosa volumina legum  
Nocturnâ versasque manu volvisque diurnâ.  
Jam satis audieras, & jam satis omnia lætus  
Combiberas cupidè doctrinæ femina multæ,  
Cum Te Saxonix tenet alma cupido videndæ,  
Et Patriæ laudandus amor. Vix ecce! reversum  
Excipit hæc civem gremio fovet atque benigno  
Demirata Tuas dotes, suadæque lepores.  
Nec mora docta suo Te caufidicina labori  
Sacrat & esse jubet clypeum columenque clientum,  
Illis & dubiam sub iudice ferre salutem.  
En! mox ingeniumque probans, suadæque nitorem,  
**FEUDORUM** curam **PRINCEPS** **AUGUSTUS** inoris  
Mag-

Magdenburgiacis Tibi credidit, atque favore,  
 Et patrocinio dignum putat INCLUTUS HEROS,  
 Hic ubi dexteritas, candorque fidesque laborque  
 Fecerat in signem passim, meritisque decorum,  
 Ecce PEDI PROCERES, quos ARCHIPRÆSUL honorat  
*Parthenopyrgiacus*, quos illaque terra veretur,  
 Consilij voluere sui MAGNIQ; SENATUS  
 Participem, spondesque fidem, quam gratia mollis,  
 Nec vecors odium, nec spes sitibunda favoris,  
 Nec male suada fames auri temerare valeret,  
 Ergo Tuæ dotes, & tanta peritia rerum  
 Judicio clarum Te consilijque potentem  
 In patriâ celebrant virtusque fidesque probata  
 Jure sibi poscunt, quæ prenas, præmia palmæ,  
 Ergò dexter ades, THEMIDOS *prænobile sidus,*  
*Flos delibutus Charitum, suadaq; medulla,*  
 Jam Tibi sarrano frontem Themis illigat ostro,  
 Et radiant auro digiti, latus ense coruscant  
 Diceris ac JURIS DOCTOR, *Legumq; sacerdos,*  
 Annuit AUCUSTUS Princeps, *Celsissimus Heros,*  
*Pacata Themidos Praeses, Defensor & altor,*  
*Parthenopyrgiaci Proceres sacrique SENATUS*  
 Ille PEDI tanto favet ac adplaudit honori,  
 Patria terra simul, fumantibus HALLA salinis,  
 Foeta Viris doctis, tanto lætatur alumno.  
 Et meus exultans plaudit votivus Apollo,  
 His numerisq; tuo bona cuncta precatur honori,  
 Profit isur Patriæ, REVERENDIS atque DYNASTIS,  
 Atque DUCI EXCELSO. DEUS omnia Numine firmet!

F I N I S.

Nr 332

ULB Halle

3

001 594 656



TA → OL




Retro: Stk. 39 - 42 unvollst.,  
nicht in PICA

V077







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



V.  
 ACATA  
 UM  
 E SVMMVM,  
 RATUS  
 OLENNI MORE  
 ONFERT  
 Q; CONSVLTISSIMO  
 MO REIN-  
 SSIO, JCTO,  
 Ecclesiae Metropoli-  
 s Magdeburgensis  
 vifsimo,  
 MUM ACADEMIA  
 or. A. R. O.  
 LX.  
 E OFFICIOSO  
 MO  
 NI, M. & P. L. C.  
 burgici, quod Curiae  
 t. Rectoris,  
 of,  
 SVRGI,  
 S MULLERI.

